Jahresbericht

über das

Königliche Katholische Gymnasium

zu

Braunsberg

in dem Schuljahre 1849—50,

mit welchem zu der

Oeffentlichen Prüfung am 2. August


und zu den

Schlußfeierlichkeiten am 3. August

ergebenst einladet

der Direktor der Anstalt

Dr. Ferd. Schultz.




Vorangeht die Abhandlung:

De primariis optimatium Karthaginiensium gentibus.

Von dem Herrn Gymnasial=Lehrer Dr. Bender.

Braunsberg,
gedruckt bei C. A. Heyne.




Stadtbibliothek
Thorn

De primariis optimatium Karthaginiensium gentibus.

Quaestio historica

quam scripsit

Iosephus Bender

LL. AA. M. Phil. Dr.

Omnes antiquorum populorum civitates primitus fundatas esse atque contineri gentilitate, nota atque apud viros antiquitatis peritos pervulgata res est. Haec gentilicia rerum publicarum constitutio quum iam ipsa per se ad inquirendum invitet, tamen in solis fere Romanorum gentibus enarrandis multi et docti viri posuerunt operam: quapropter quum nullos populos magis gentium ratione atque coniunctione contineri intelligerem, quam Orientales, quos Semitas nominant, saepe miratus sum, quam parva huic rei describendae huc usque opera addita sit. Iam vero, quum ordine, quo collegae huius scholae programmata scribunt, nescio qua de caussa interrupto mihi neque providenti neque opinanti, nequaquam tamen invito, id munus demandatum sit, breviorem eligere materiam coactus non dubitabam, unde sumerem. Temporis tanta est exiguitas, ut ei muneri satisfacturus videar, si ea, quae ex aliquo tempore in rebus Karthaginiensium accuratius investigandis occupatus de eorum gentibus optimatium collegi, quam brevissime disponam atque enarrem. Magis igitur ut necessitas temporis, quam ut rei gravitas postulaverit, scripsisse me velim iudicari.

Karthaginem fundatam esse duce Elissa ex stirpe regia, emigrantibus propter domesticas inter plebem et nobiles contentiones Tyriorum principibus; a quibus ut proavis optimatium Karthaginiensium gentes ortas esse, eorumque ordinem ita comparatum fuisse, ut triginta principes[1] pro universo ordine fungerentur, inter quos decem nobilissimi tamquam evocati atque delecti eminuerint: haec quidem et multa eiusdem generis nuperrime a Moversio[2]) viro longe eruditissimo magna cum sagacitate investigata atque probata sunt. Ex his igitur principibus summi quique apud Karthaginienses magistratus eligebantur. Gravissima de hac re est Aristotelis (Polit. II. 8.) sententia, qui „deflectere ait ab optimatium principatu (aristocratia) ad paucorum

[1]) Seniorum principes Liv. XXX. 1. Triginta gentium societates Arist. nominat ἑταιρίας. Vid. de hac re Movers. p. 496. et p. 493.

[2]) „Das phönizische Alterthum“ P. I. Berol. 1849.

potentatum (oligarchiam) Karthaginiensis rei publicae formam; magistratus creandos esse non virtutum tantum, sed divitiarum quoque ratione habita (*ἀριστίνδην — πλουτίνδην*). Fieri enim non posse, ut, qui egeat, bene magistratu fungatur et otium gerat." Summi autem magistratus apud Karthaginienses eodem teste fuere *βασιλεῖς* (quos Poeni ipsorum lingua Sufetes appellant) et *στρατηγοί*. Hi magistratus nominantur plerumque reges et duces, sed etiam *πρωτεύοντες* et imperatores (Iustin.) et dictatores (Iustin. et Liv.) et praetores (Liv. Corn. Nep.) et consules (Liv. XXX. 17. [3]) Iust. XXXI. 2.) et principes civitatis (Liv. XXXIII, 48. Iust. XXXI. 2. cf. Iust. XXI. 4. princeps Karthaginiensium Hanno.). De horum magistratuum ratione ita dissentitur, ut, quum inquisitio de ea re a proposito nos longius esset avocatura, potius diversas recentiorum scriptorum sententias intactas mittamus, id unum adiicientes, ex Klugii (Aristot. de Polit. Karthag. p. 92. 98.) opinione dictatores vocatos esse Sufetes, si ornati essent non solum regia dignitate, sed etiam summi imperatoris munere, praetoremque esse novum ceterisque maiorem Hannibali tributum magistratum. Magistratus igitur, quorum duplex creandorum ratio fuit, aut ex virtute aut ex divitiis, Karthaginienses utramque rationem respicientes eligebant, ita ut administrationis eorum rei publicae genus inter solum optimatium dominationem et inter paucorum imperium interiectum esset. Arist. l. l. Idem auctor quum alio loco (Pol. II. 8) dicat reges Karthaginienses non ex uno eodemque genere esse sumptos, sed si qua gens fuerit praeclara (*διαφέρον*), ex hac potius eos delectos; quumque Diod. Sicul. (XX. 10.) referat, Karthaginienses illustrissimos (*ἐπιφανεστάτους*) [4]) viros duces bellorum fecisse, opinantes eos pro communi salute oportere pericula subire: sequitur, ut illi magistratus delecti sint ex praecipuis quibusdam gentibus, quarum nobilitas et antiquitate generis gloriaque maiorum et divitiis fulciretur. Itaque recte concluditur, omnes quos nominabimus Sufetes summosque duces referendos esse ad Karthaginiensium nobilitatem. Quapropter quae collegi Sufetum nomina hic adiiciam: (Hasdrubal c. 550 a. Ch. n. undecies dictator. Just. XIX. 1.) — Hanno c. 530. *βασιλεύς*. — Hamilcar 480. *βασ.* (Herod. VII. 165). — Hannibal 410. *βασ.* (Diod. XIII. 43). — Himilco 396. *βασ.* (Diod. XIV. 54.) — Mago 383. *βασ.* (Diod. XV. 15.) — (Hanno 344. princeps Karth. Iust. XXI. 4.). — Hamilcar 309. a Syracusanis interfectus *βασ.* (Diod. XX. 33). — Bomilcar 308. rex (Iust. XXII. 7). — Hasdrubal 256. *βασ.* (Plut. parall. minor. I.

---

[3]) „Sufetes, quod velut consulare imperium apud eos erat." cf. XXVIII. 37. „Sufetes qui summus Poenis est magistratus."

[4]) Quo ipso vocabulo idem hisce locis utitur de Karth. optimatibus: XIX. 106. 108. XX. 8. (hoc loco etiam uti ditissimi significantur), XX. 43. Exc. de legat. c. 27. (*τριάκοντα τῶν ἐπιφαν.*) App. (Pun. 73.) nominat *ἐπιφανεῖς*. Memorabile est eiusdem libri caput 55. quo forensi multitudini s. plebi oppositi sunt optimates et *ἄριστοι* et *ἄρχοντες* et *γνώριμοι* iidem vocati. Polyb. I. 46. Hannibalem Rhodium nuncupat virum *τῶν ἐνδόξων*. cf. etiam Mov. p. 496.

p. 305). — Hannibal Barcas rex 221. (Corn. Nep. Hann. 7), dictator (Cato apud Gell. X. 24), praetor et princeps (Nep. Liv.). — Bomilcar 219. βασ. (Polyb. III. 33). [5])

His enarratis iam singulas gentes, quae ordinem civium Karth. primarium tenebant, investigare quoad eius fieri potest aggredimur et quidem ordinem temporum servantes.

I. Gentem regiam Elissae, quae eadem Dido nominatur, accuratius enarrare supersedere possumus, quum quae de ea sive vera sive ficta traduntur satis nota sint; fuisse eam Muttonis filiam, Balezoris neptem, sororem Pygmalionis; avunculum eundemque coniugem habuisse Sicharbaal sive Sychaeum sive Acerban. De tempore conditae Karthaginis, quum certi nihil traditum sit, quaevis opinio artificiosis scriptorum rationibus fulcitur.

II. Jam vero Bitias Didonis comes ab ea prae omnibus aliis proceribus honoratus, a Virgilio celebratur (Aen. I. 738 seqq.). Idem occurrit apud Sil. Ital. (II. 409). Num ab illo sacerdotalis gens Karthag., quam possis Bitiadum dicere, orta sit, num loca Sardiniae quaedam inde nomen acceperint, num huc referendus sit ille Bithyas praefectus equitum Poenorum, qui ducitur ante currum triumphantis Scipionis (App. Pun. III. 114. 120), id Moversio (cf. p. 501.) diiudicandum relinquam.

III. Primum Karthaginiensium ducem Malchum accepimus, eiusque filium Carthalonem. De quorum rebus quum Iustinus (XVIII. 7.) et Orosius (IV. 6.) uni sint scriptores, sufficiet, ad eos lectores revocare. Quo tempore vixerint, quando ille Malchus „affectati regni accusatus duplicis et in filium et in patriam parricidii poenas dederit,“ non facile pro certo dicere poteris. „Huic Mago imperator successit, cuius industria et opes Karth. et imperii fines et bellicae gloriae laudes creverunt.“

IV. Omnium gentium Karth. longe clarissima plerumque perhibetur ea, quam recentiores scriptores ab eius auctore nominare solent Magonum. Mago enim, ut Iustin. auctor est (XIX. 1.), „Karth. imperator primus omnium ordinata disciplina militari imperium Poenorum condidit viresque civitatis non minus bellandi arte quam virtute firmavit.“ Filii eius fuere Hasdrubal et Hamilcar, nepotes ex altero Hannibal, Hasdrubal, Sappho, ex altero Himilco, Hanno, Gisco. Equidem non dubitandum esse arbitror, quin Trogus Pompeius, cuius Iustinus epitomen fecit, certos Karthagine in Siciliam transductos fontes sit secutus, qui, uti apud antiquos, imprimis Orientales, fiebat, de praecipuis familiis earumque progenie certas et antiquas notitias memoriae proderent; at ei historico in temporum constituendorum ratione multo minorem fidem esse habendam, facile quisque sibi persuadebit, qui cum iis, quae Iustinus narrat, ea comparaverit, quae ceteri et accuratissimi veracissimique rerum scriptores tradiderunt. Hanc igitur de Magonum progenie apud Iustinum notitiam haud dubie pro certa habere possumus, sed quae de tempore rerum narratarum ex eo sequi videntur, ea coniungi nequeunt cum certioribus quam ipse est auctoribus; eiusque

[5]) Nonnulli Sufetes Romanae Karthaginis et civitatium coloniarum memorantur a Moversio libr. I. p. 534 et ab Ewaldo (Jahrb. der bibl. Wissens. I. p. 217.)

errores inde potissimum ortos esse puto, quod cognomines Karthaginienses inter se confuderit. Haec, ut quae sequuntur recte intelligerentur, praemittenda esse putavi. Praeter Iustinum nullus scriptor de Magonibus, quos nominavimus, quidquam refert, nisi quod ab iis, qui inter veteres literarum Punicarum periti fuerunt, accepimus de his tribus Karthaginiensibus Magone, Hannone, Himilcone, quos Iustini Magonem eiusque nepotes fuisse plerique recentiores iudicant.

Magonem scilicet Karthaginiensem „rusticationis parentem maxime venerabantur, cujus duodetriginta memorabilia volumina Karthagine capta ex senatus consulto in Latinum sermonem conversa sunt“ (Colum. I. 1. Plin. N. H. XVIII. 5.); „cuiusque libros Cassius Dionysius Uticensis vertit libris viginti graeca lingua“ (Varr. de R. R. I. 1.). Magonis opiniones et sententiae a scriptoribus de re rustica, uti a Varrone et Columella, saepius laudantur. Plinius eum citat N. H. XVII. 11; 16; 19; 13. XVIII. 23. XXI. 68. Lib. XVIII. 5. eum nominat ducem Poenum. Etiam Cicero (De Orat. I, 58) eius libros novit. — Quum recentiores fere unanimi consensu hunc parentem rusticationis eundem fuisse, quem Iustinus habet potentiae Karth. conditorem, contendant, equidem miratus sum, quod non ab iis relatum legerim, quibus caussis adducti ita judicarint. Recte eos iudicasse et ipse non dubito. Nam quum plures in historia occurrunt Magones, tum praeter antiquum illum imperatorem plerique tam parum ab aetate scriptorum, qui de rusticationis auctore agunt, distant, ut recte mirari possis, quod eum, quem propter temporis propinquitatem bene novissent necesse fuit, non accuratius significarint et descripserint; tum si Mago parens fuit rei rusticae, quae est perantiqua, vulgaris atque communis intelligentia, remotioribus sane temporibus vixisse eum oportuit ante eos scriptores, qui inter Latinos primarii sunt de re rustica; denique hic Mago fuit dux Poenorum, contra reliqui fere omnes eiusdem nominis non praefuerunt nisi exercituum partibus. Neque cuiquam vitae antiquae perito mirum videbitur, quod praeclarus bello imperator etiam in re rustica eminuerit.[6])

Accedimus ad viros celeberrimos Hannonem et Himilconem, diu multumque exterarum regionum inveniendarum cognoscendarumque caussa maribus navigantes, quos brevitatis caussa appellabo „Nautas.“ Hanno dux Karth. ad explorandas oras maritimas missus suae navigationis historiam sive Periplum, quo persecutus est Africae ambitum et terras in Atlantico Oceano a se inventas, Punice scriptam composuit, cuius fragmentum hodieque exstare Graece redditum est notissimum. De *Ἄννωνος βασιλέως* (sic inscribitur) periplo ipso rei literariae scriptores ita copiose egerunt, ut mihi

[6]) Addere liceat insignem ad nostram rem Columellae locum (XII. 4.), e quo primum sequitur, Magonem et Hamilcarem (haud dubie filius prioris significatur) antiquissimos R. R. scriptores habitos esse, quos secutos esse Mnaseam (ille autem vixit c. a. 200 a. Ch. n.) et Paxamum Graecos, tum demum Romanos M. Ambivium et alios; — tum hos viros, „postquam a bellis otium fuerit, quasi quoddam tributum victui humano conferre dedignatos non esse.“ Memorandum tandem est, Mnaseam etiam periegesin et periplum scripsisse, quod bene convenit in Magonum studia.

de eo potius tacendum videatur. At quis Hanno iste fuerit, quum Hannonum inter Karthaginienses sit maximus numerus, disputatur. Gravissimus de eo auctor est Plinius, qui, eum N. H. VI. 36. nominans Poenorum imperatorem et V. 1. Karthaginiensium ducem, refert, fuisse „eius commentarios Punicis rebus florentissimis explorare ambitum Africae iussi.“ — „Eum Karthaginis potentia florente circumvectum a Gadibus ad finem Arabiae navigationem eam prodidisse scripto: sicut ad extera Europae noscenda missum eodem tempore Himilconem.“ II. 67. cf. Mela III. 9. Quum Karthaginiensium tempora florentissima omnium consensu sub primis Magonibus exstiterint, quum et idem imperator fuerit Hanno, quum eodem tempore vixerit nauta Himilco, missus in itinera, quumque inter Magonis nepotes memorentur fratres Hanno et Himilco: equidem eorum amplector sententiam, qui nautas illos et hos fratres fuisse eosdem iudicant.[7] — Item Anacharsis Scythes magnam vitae partem in peregrinationibus consumpsit, aequalis Solonis.[8] Quae Anacharsidis fertur ad Hannonem epistola,[9] eam apparet ad peregrinantem scriptam esse, quem ad se in Scythiam invitet. Hic non curo, num epistola sit genuina, neque me fugit, quam in universum incerta sint, quae de Anacharsi referuntur:[10] sed hoc inde efficitur, traditum esse veteribus, Hannonem et Anacharsin fuisse aequales.

De Anacharsidis autem aetate hanc confecimus rationem, Herodoti testimonio usi. Multis annis post Anacharsin similia suscepit Scyles (Herod. IV. 78.), aequalis Sitalcis (IV. 80.), quocum Xerxes a. 480. bellum gessit (VII. 137.). Quot annos Herod. inter utrumque intercessisse putarit, non liquet quidem, sed annum 594., quo Scythae ex Asia pulsi sunt (I. 106.), excedere non licet. Anacharsis patruus fuit regis Scytharum Idanthrysi (IV. 76.), cui Darius Persarum rex a. 508. bellum intulit (IV. 127.). Ut ille tum quadraginta aut quinquaginta annos natus fuerit, Anacharsis c. a. 540. aut 550. etiam in vita fuisse videtur. Qui quum per longum tempus affuerit externosque mores induissit (IV. 76.), eum longaevum e vita excessisse necesse est, quod etiam inde coniici potest, quod Solonis, qui c. a. 555. mortuus est, aequalis fuisse fertur. Anacharsidis aetas igitur virilis c. a. 560. ponendus erit. Non admodum igitur errare mihi videor, si Hannonem Himilconemque c. annum 550. aut 540. floruisse statuero.[11]

---

7) Video ex Iahnii „Neue Jahrbücher für Philol. u. Paedag. (3. Jahrg. 9. B. 1. Heft p. 144.)“ Klugium idem alia ratione, ac me, confirmasse.

8) V. Plut. Sol. 5. Conviv. VII. Sapient. 3. et al.

9) Cicero ea epistola usus est Tusc. V. 32. Graece legitur inter Epistt. Genevae editas p. 349. et in edit. Aldin. 1499, ut Ciceronis editores ad h. l. annotare solent. Iidem breviter caussis non additis eam epist. confictam esse a sophistis et Anacharsidi suppositam esse contendunt. V. Ed. Kühnii 1825, Iahnii 1849.

10) Quod etiam ipsi antiqui viderunt cf. Herod. IV. 77. Strab. VII. 3. Plin. H. N. V. 1.

11) Haec iam scripseramus, quum in locum Moversii incideremus satis memorabilem, quo verbis Dionis Chrysostomi (Orat. 25.) nixus demonstrat, hunc Hannonem sapientissime ea re patriam adiuvisse et provexisse, quod tunc Tyrios propter bella Chaldaeorum emigrare coactos Karthaginem receperit; ita ut ipsa praeclarissime effloruerit, quum Tyrus dilaberetur, itaque Hannonem esse verum Karth. potentiae conditorem. Moversius eum in idem fere tempus transfert ac nos.

Postquam e Magonis gentilibus, quos Iustinns memorat, tres paullo accuratius cognovimus, eidem scriptori de reliquis eiusdem gentis viris eorumque rebus gestis referenti multo etiam minorem fidem habebimus, si demonstratum erit, quam parum, viris eiusdem nominis confusis, temporibus satisfecerit. Quam accuratissime igitur quae narrat persequamur.

A. 1) Hasdrubal filius Magonis, postquam cum Afris et Sardis multa bella gessit, in Sardinia interiit. Iust. (XIX. 1.) ita in universum de his bellis loquitur, nec Diod. (V. 75.), nec Strabo (V. p. 137.) certiora narrant, ut num hae res iure huic Hasdrubali tribuantur et quando factae sint, demonstrare non possimus.

2) Sed quum Hamilcaris fratris, qui in imperio secutus bello Siciliensi ceciderit, res temporibus Darii Persarum regis (521—485.) et Leonidae Spartani (491—480.) gestas esse idem ipse scriptor (c. 1. et 2.) tradat, qui hunc Hamilcarem fuisse patrem Hannonis (ex nostra ratione c. a. 540. florentis) referat: facile est intellectu, ea omnia magno errore ab alio Hamilcare, qui bello Karthaginiensium contra Gelonem et Theronem, quod pugna ad Himeram (480.) insigne est, interiit, translata esse ad Magonis filium. Hunc autem cum patre Magone inter scriptores de re rustica a Columella (XII. 4.) numerari, iam supra annotavimus.

3) Tum, ut Iust. narrat, res per Magonis nepotes gerebantur. Num iam tunc temporis, ut contendit c. 2., „familia tanta imperatorum ita gravis liberae civitati fuerit, ut centum ex numero senatorum iudices deligerentur, qui reversis a bello ducibus rationem rerum gestarum exigerent,“ perspici aliis deficientibus testibus non potest, nisi fortasse haec res convenit in illum Hannonem, quem referunt Plin. (N. H. VIII. 21.) et Aelian. (H. A. V. 39.) primum leonem manusuefactum habuisse idque ei argumento affectati regni esse versum, ut coactus sit, solum vertere. [12]) Nam qui multum peregrinabatur in remotis regionibus, eum leone usum fuisse facilius credas. —

4) „In Sicilia in locum Hamilcaris imperator (filius) Himilco succedit: qui quum navali terrestrique bello secunda proelia fecisset, multasque civitates cepisset, repente pestilentis sideris vi exercitum amisit.“ Unde ingens Karthagine exortus luctus. Himilco imperator postquam de tanta calamitate voces querulas et desperabundas effudit, spe omni abiecta, obseratis foribus mortem sibi conscivit. Iust. XIX. 2. et 3.

5) De Himilconis contra Dionysium tyrannum expeditione copiosissimum et certissimum habemus testem ipsum Siculum, Diodorum. Legendus est a. c. 49. libri XIV. usque ad c. 76. Itaque Himilco (406—396.), classi Dionysii I. damno illato, Eryce et Motya recuperatis, Messana subito oppressa et diruta, Syracusas terra marique obsidet. Achradinae suburbio potitus ipsa templa expilat. Quo sacrilegio patrato Himilconis res in peius ruere, Dionysii resurgere. Et quod gravissimum fuit castra Poenorum dirissima

---

[12]) Alius Hanno eiusdem criminis argutus morte multatus est, de quo infra dicetur.

invadit lues (νόσος), cuius etsi naturales apparebant caussae, tamen origo ad sacrorum violationem referebatur. Morbi, quem Diod. accurate describit, atrocitas summa erat. Et Poeni lue, incendio, caede devicti fugam nocturnam parabant. Himilco Karthaginem redux maxima ignominia et miseria obrutus vitam finiit inedia (aut, ut Orosius IV. 6. tradit, gladio) a. 396.[13])

6) Et huius Himilconis, qui a. 396. e vita excessit, patrem Hamilcarem fuisse, avum Magonem Iust. tradit! quamquam ne is Hamilcar quidem pater esse potest, qui cecidit a. 480. Quis non videt, quam haec omnia sint confusa et non credenda? Neque tam miror, quod Iustinus ita titubarit, quam quod recentiores quidam eum secuti sint. — Iust. dicit l. c.: „In Sicilia in locum Hamilcaris imperator Himilco succedit." Sed omnino ne Hamilcar quidem, quisquis fuit, Himilconem in imperio praecessit. Ante eum enim dux fuit Hannibal, qui imperium tenebat ab a. 410—406., quo anno pestilentia exstinctus est. Diod. XIII. 44; 80; 86. Constat igitur a Iustino antiquum nautam Himilconem mire confusum esse cum hoc Himilcone. Illum liceat primum (I), hunc secundum (II) appellare.

B. Notissimum est, Karthaginienses a. 480. apud Himeram, die proelii Salaminensis, a Gelone Syracusarum tyranno passos esse diram cladem, qua dux eorum Hamilcar cecidit. V. Diod. XI. 20—22. XIII. 43. Herod. VII. 164—167. Iust. IV. 2.

1) Qui fuerit iste Hamilcar quum aggrediamur inquirere, postquam de tempore supra diximus, miramur, quod viri docti, Iustini loco (XIX. 2.) usi — qui ne id quidem expressis verbis dicit —, neglectis certioribus testibus, illum remotum Magonis filium (quem I. nominabo) eundem esse ac victum ad Himeram (Hamilcarem II.) vel pro certo contendunt vel saltem esse posse credunt.[14]) Quod eo magis mirari subit, quum gravissimus scriptor Herodotus (VII. 165.) eum nominet „Hamilcarem Hannonis (filium) Karthaginiensium regem." Neque id Herodotus (natus a. 484.) obiter refert, sed virum sibi fere aequalem bene novit, testans (VII. 166.) eum, a patre quidem Karthaginiensem, a matre vero Syracusanum et ob virtutem regem Karthaginiensem, quum conflixisset, proelio victum, e conspectu fuisse ablatum rel. Quum hoc saltem ex Iustino constet, Hamilcarem ad Magonis gentem pertinere; quum non alius Hanno, quantum scimus, Herodoto antiquior existat, quam quem supra descripsimus nautam; quum eius tempus bene conveniat in patrem Hamilcaris a. 480. mortui; quumque notum sit, antiquis temporibus plerumque avum idem nomen habuisse ac nepotem: equidem ut certissimum probasse mihi videor, Hannonem Hamilcaris II. patrem fuisse nautam, filium Hamilcaris I. Hamilcarem I. autem ratione ex humanae vitae curriculo confecta c. a. 580., eius patrem Magonem c. a. 620. vixisse contendere poteris.

---

[13]) Himilo primum memoratur a. 406. Eius strategema, quod Diod. c. 55. narrat, etiam a Polyaeno (V. 10.) traditum est.

[14]) V. Bötticheri „Gesch. der Karthager" Berol. 1827. p. 20. — Pauly „Real-Encyclop." III. p. 1054. — Kraftii et Mülleri „Real-Schullex." I. p. 777. al.

2) Hamilcaris (II.) filius est Gesco s. Gisco, qui postquam pater adversum ad Himeram proelium fecit in exilium missus Selinunte mortuus est; Gisconis filius Hannibal, quem, tum Karthaginiensium regem, exercitui praefecerunt. V. Diod. XIII. 43. — Hic Hannibal rex is est, qui 410—406. ante Himilconem II., uti supra demonstravimus, imperium tenebat. — Hannibal et Himilco autem ex eadem gente (ἐκ τῆς αὐτῆς συγγενείας Diod. XIII. 80.) fuerunt. Eam gentem, unde uterque oriundus est, Magonis fuisse, non solum e continenti quae praecedit disputatione liquet, sed inde etiam, quod Iustini Himilco eodem pertinet.

3) Himilconis (II.) pater traditus est Hanno. V. Diod. XIII. 80. Recentissimi scriptores hunc Hannonem statuunt esse filium eius Hamilcaris, quem ex utroque Hamilcare (I. et II.) in unum conflarunt, nixi haud dubie Iustini auctoritate, sed non videntes, quomodo iste binos Hamilcares, binos Himilcones et binos Hannones in singulos contraxerit. Hi volunt efficere, Himilconis patrem fuisse Hannonem nautam, avum autem Hamilcarem caesum ad Himeram; [15]) id quod, postquam temporibus dispositis Hamilcarem 480. mortuum esse, Hannonem nautam c. a. 540. vixisse, Himilconem a. 396. e vita excessisse docuimus, falsissimum esse quisque iudicabit. Unde sequitur, ut praeter nautam alius in gente Magonica Hanno (II.) fuerit Himilconis pater, sed quo loco is inserendus sit, non est in aperto: at quum Hannibal rex (410—406.) natu maior fuerit Himilcone, qui illi propter senectutem (Diod. XIII. 80.) suffectus sit, equidem coniicere audeam, Hamilcarem Himilconis fuisse patruum, et ita Hannonis (II.) fratrem. Ita Karthaginiensium res (c. 620—396.) ab condita eorum potentia usque ad finem secundi belli contra Dionysium I. prorsus penes gentem Magonicam fuere.

V. Himilconem II. in imperio contra Dionysium I. exceperunt Mago rex eiusque filius admodum adolescens, cuius nomen non traditum est (393—383.). Mago cecidit ad Cabala, filius victor evasit ad Cronium. V. Diod. XV. 15—17. A Iustino Hanno, „cuius inimicus Suniatus potentissimus ea tempestate Poenorum", traditur fuisse Himilconis successor in imperio (XX. 5.); quo iure, iudicari nequit. Num hi viri ad Magonum gentem, quam antea descripsimus, referendi sint, [16]) in ea quaestione non morabor, quum certa argumenta me deficiant.

Secutum est Karthaginiensium infelix cum Timoleonte bellum (345—340.), quo eorum copiae apud Crinissum s. Crimissum s. Crimesum flumen omnino fugatae sunt (340.). V. Plut. Timol., Diod. Sicul. XVI. 67—81. Per hoc Karthaginiensibus gravissimum tempus duces fuere: 345. Mago (Plut. Timol. XVII et al.) et Hanno (Diod. XVI. 67.); 341. Hasdrubal et Hamilcar (Plut. Tim. XXV); 340. Gesco (Diod. XVI. 81. Plut. Tim XXX.). De gentibus trium ex his viris quidquam proferre non in promptu est.

---

[15]) V. Boetticheri l. c., Pauly R. E. Kraftii R. S. L. sub his nominibus; quamquam et ipsi binos Himilcones statuunt.

[16]) Ab Himilcone filios relictos esse Iust. testatur. XIX. 2.

VI. A Giscone autem proficiscentes iam enarrabimus gentem opulentam et nobilem, quam nominare libet Hannonicam, in qua regni affectatio tamquam hereditarium crimen traditum fuisse videtur. Diodor. (XVI. 81.) Karthaginienses refert Gisconem Hannonis filium (haud dubie eiusdem, qui 345. dux erat. Diod. XVI. 67.) exsulantem revocasse ducemque fecisse.

1) De patre Gisconis Hannone. Eodem tempore, quo Dionysius II. rerum Syracusis iterum potitus regnabat (349—343.) „Hanno, princeps Karthaginiensium, opes suas, quibus vires rei publicae superabat, ad occupandam dominationem intendit, regnumque invadere, interfecto senatu, conatus est. Cui sceleri sollemnem nuptiarum diem filiae suae legit. At spe frustratus servitia concitat, denuoque proditus munitum quoddam castellum occupat. Ibi captus, virgis caesus, effossis oculis et manibus cruribusque fractis, in conspectu populi occiditur: corpus in crucem figitur. Filii quoque cognatique omnes, etiam innoxii, supplicio traduntur, ne quisquam ex tam nefaria domo superesset.“ Ita fere rem narrat Iust. XXI. 4.[17]) Omnes quoque filios occisos esse, id parum accurate dictum est, quum Gisconem filium non multatum esse constet nisi exilio. Regni illam Hannonis affectationem cadere inter imperium ipsius (345.) et Gisconem revocatum (340.) apparet; habitaque Dionysii II. ratione, inter annos 345. et 343., et si medium teneas anno 344. eas res factas esse, contendere poteris.

2) De fratre et filiis Gisconis. Anno 317. Agathocles occupata urbe Syracusanorum tyrannus factus est. Hamilcar dux Poenorum „inter eum et Syracusanos pacis arbitria suscepit et societatem cum tyranno iunxit: ut quantum virium Agathocli adversus Syracusanos dedisset, tantum ipse ad incrementa domesticae potentiae recuperaret. Poenorum socios Agathocles permittente Hamilcare foede vexat. Eorum quaerelae senatum Karthaginiensium in Hamilcarem accendunt. Sed quoniam in imperio esset, tacita de eo suffragia lata sunt et sententiae, priusquam recitarentur, in urnam coniectae obsignatae sunt, dum alter Hamilcar Gisconis filius a Sicilia reverteretur. Sententias inaudita mors Hamilcaris praevenit, liberatusque est fati munere, quem sui per iniuriam cives inauditum damaverant. Paullo post Agathocles ab Hamilcare Gisconis filio victus est.“ His, quae ipsis fere Iustini (XXII. 2. et 3.) verbis usi narravimus, addimus Diodori (XIX. 106.) testimonium: Hamilcarem fuisse unum illustrissimorum civium, ducem factum a. 311., vicisse ad flumen Himeram (XIX. 108. 109.), Siculorumque animos sibi conciliasse.

Agathocle mox bellum redintegrante contra Karthaginienses, ab iis duces creati sunt Hanno et Bomilcar a. 310., „patrias habentes inimicitias“ (non igitur eiusdem gentis erant), quae res male evenit. Nam Bomilcar iam diu regni cupidus demum occasionem et subsidia eius rei adeptus est. V. Diod. XX. 10. Pugna quae

---

[17]) cf. Oros. IV. 6. Arist. Polit. V. 6. 2. Non sequor Klugium (Arist. Polit. Karthag. p. 218.), qui corrrupto Diodor. Metoch. loco usus Hannonem hominem privatum fuisse dicat.

secuta est Hanno cecidit, Bomilcar recessit. a. 310. V. Diod. XX. 12. Iust. XXII. 6. Hamilcar, Gisconis filius, in obsidione Syracusarum eodem anno occupatus, tandem a Syracusanis captus atque interfectus est. a. 309. V. Diod. XX. 15. 29. 30. Iust. XXII. 8. Cic. de Divin. I. 24.

Iterum a. 308. Bomilcar, regni cupiditate adductus, idoneam consiliis suis nactus occasionem, tam parum prudenter, quae voluit, agitabat, ut oppressus a civibus supplicio afficeretur. V. Diod. XX. 43. et 44. — Bomilcarem regem Poenorum refert Iust. (XXII. 7.) „transiturum ad Agathoclem cum exercitu fuisse; ob eamque noxam in medio foro a Poenis patibulo suffixum esse. Eum de summa cruce, veluti de tribunali, in Poenorum scelera concionatum esse, obiectantem illis, nunc Hannonem falsa affectati regni invidia circumventum, nunc Gisconis innocentis exilium, nunc Hamilcarem patruum suum tacita suffragia." Hamilcarem (317.) tacitis suffragiis damnatum iam supra cognovimus. Cur ille praeter suum patruum de cruce commemoravit Hannonem eiusque filium Gisconem? Nonne illos etiam ad eandem gentem pertinuisse dixeris? Ea coniectura hisce tandem probatur:

Hamilcarem, cuius tam gravem casum Iust. (XXII. 3.) narrat, Polyaen.[18]) Strateg. V. 11. tradit, optimum ducem in invidiam vocatum et ab adversarum partium factione in crimen affectatae tyrannidis adductum, morte multatum esse. Tum eius fratrem Gisconem in exilium actum solum vertisse, eique postea, ab exilio revocato, summam belli commissam esse. — Ex quo apparet, etiam Bomilcarem, quippe cuius patruus Hamilcar fuerit, fuisse Gisconis filium.[19])

VII. Karthaginienses Hamilcarem, cognomento Rhodanum, virum solertia facundiaque praeter ceteros insignem, mittunt speculatum ad Alexandrum Magnum. Eum post regis mortem (323.) reversum Karthaginienses necaverunt. Iust. XXI. 6. et Oros.[20])

Secutum est tempus, quo Karthaginienses cum Syracusanis et cum rege Pyrrho belligerabant (306—269.). Hannibal dux in Sicilia, decepto Hierone II., Mamertinos servavit a. 269. V. Diod. excerpt. XXII.

VIII. Perventum est ad gravissima inter Karthaginienses et Romanos bella, 264—146; et quidem ad primum bellum Punicum (264—241.)

E scriptoribus huius temporis ad gentium Karthaginiensium historiam non colligi licet nisi nonnulla fragmenta. Quae Polybius diversis locis (I. 18—79, quibus historiam annorum 262—239. amplectitur) de duce Hannone narrat,[21]) ea in duos Hannones distribuenda sunt. Nam Diodorus (in excerpt. l. XXIII., quibus nonnullae

---

[18]) Qui tamen rerum quas narrat tempora aliquantum immutavit.
[19]) Corrigendus igitur erit locus Kraftii R.-Sch.-Lex. p. 777, quo Hamilcar nominatur Hamilcaris filius.
[20]) Nomen Rhodani in inscriptione Punica in Sardinia reperta invenitur. Eius Rhodani pater Lamus fuit, filius Haabus, nepos Nagidus, pronepos Rasus, abnepos Tennes. cf. Moversii Pun. Text. p. 80. Etiam Sil. Ital. Rhodanum quendam habet. XV. 725.
[21]) Schweighaeuserus in indice ad Polyb. s. h. v. ea omnia in unum Hannonem transfert.

res inde ab a. 264—251. gestae traduntur) eum Hannonem, qui Agrigento communito de pellendis e Sicilia Romanis foedus cum Hierone (264.) fecit, nominat filium Hannibalis. Hunc eundem esse, quem iam supra narravimus Mamertinos servasse (269.), facile credi potest. Praeterea Diodorus tradit, alium Hannonem, τὸν πρεσβύτερον sive Seniorem, Erbesso capto Agrigentoque Romanis tradito, pecunia multatum, ab imperatoris munere amotum esse atque in eius locum Hamilcarem ducem suffectum. Eiusdem Hannonis res gestas clademque a. 262. acceptam copiosius narrat Polyb. (I. 18. et 19.), quamquam de multa nihil habet. Hamilcaris imperium (260—256. V. Polyb. I. 24—30.) seiungit Seniorem ab illo Hannone duce, qui victus ad Ecnomum et ad Aegusam (256. et 242.), postea a mercenariis in Sardinia cruci affixus est (237.). V. Polyb. I. 27—79. Quum ita hunc Hannonem diversum esse ab Seniore satis probatum sit, non dubito contendere, Hannonem, cruci affixum, fuisse filium Hannibalis, quem supra commemoravimus. Eiusdem Hannonis filius est Hasdrubal (256—251.), dux adversus Regulum caesusque ad Panormum a L. Caecilio. V. Polyb. I. 30. 38. 40. cf. Schweigh. indic.; Diod. exc. XXIII; Plutarch. (Parall. minor. I. p. 305.), a quo nominatur rex. Una cum Hannone dux fuit Hannibal, praefectus Agrigenti, pugna navali victus a Duillio et postremo a suis in crucem actus. (262—260.) V. Polyb. I. 18. 19. 21—24. Diod. exc. XXIII. — Oros. VIII. eum appellat Seniorem, eumque lapidibus obrutum esse tradit. cf. Valer. Max. VII. 3. Eius filius Hannibal fuit, fortasse idem, qui item e cruce suspensus est. V. Polyb. I. 43. (82. 86.) a. 250 (238). Hannibalem seniorem fuisse Gisconis filium testatur Zonaras (Annal. VIII. 10.) De hoc Giscone nihil traditum est.

In locum Hannonis Senioris suffectus est dux Hamilcar (260—256.), victus ad Tyndaridem, tum in pugna navali cum Regulo et revocatus ex Sicilia in Africam adversus Regulum. V. Diod. exc. XXIII. Polyb. I. 24—30. Eius fuere filii: Hannibal 250. trierarchus Adherbalis (V. Polyb. I. 44. 46., fortasse is, qui 238. crucifixus est I. 82. 86. cf. ind. Schw.) et Hanno, qui ad Regulum de pace missus est 256. (Diod. exc. XXIII.)

Tandem per hanc tempestatem alius etiam Hanno (241—238.) notus est Polybio, qui res cum Hamilcare Barca in Africa gessit belloque Africo finem imposuit. V. I, 67. et passim usque ad c. 88. Eum Hamilcaris filium fuisse suspicari, non affirmare possumus.

Sub finem primi Punici belli etiam primum Hamilcar Barcas memoratur a. 248, quo ei imperium delatum est. — Tempus quod inter I. et II. bellum Punicum intercedit inde ab a. 241 — 238. grave fuit Karthaginiensibus ob bellum cum mercenariis Numidis periculosissimum, sive bellum Africum, quo praeter Hamilcarem Barcam Gisco, Hanno et Hannibal insignes fuere. V. Pol. I. 65—88. De Giscone infra dicemus, de Hannone et Hannibale supra dictum est.

VIII. Secundum quod secutum est bellum Punicum (218—201.) pro nostro instituto celeberrimum est Barcinorum nomine, quorum res praeclarissime gestas, quo sunt notiores, eo brevius enumerare possumus. Quid addere possimus ad Hamilcaris laudem, quem Polyb. (I. 64.) et consilio et virtute omnium qui tunc fuere praestantissimum esse iudicarit, quem ipse Livius (XXIV. 41.) magnum nominet? quid ad Hannibalis gloriam, qui omni aevo tamquam exemplar optimi imperatoris sit propositus?

Hamilcar Barcas, donis rapinisque conciliato exercitu,[22]) ab inimicis velut auctor superioris belli Africi in iudicium vocatus, quum etiam principes civitatis sibi devinxisset,[23]) inter quos prae omnibus gener Hasdrubal auram popularem captabat,[24]) id effecit, ut omnia in re publica posset et, quamquam nobilissima et antiquissima gente oriundus, caput factionis popularis fieret. Cui quum optimatium factio adversaretur, cuius princeps fuit Hanno (Liv. XXI. 3.), cognominatus ὁ Μέγας sive Magnus (App.), factum est, ut civitas in inimicas partes discissa in discrimen vocaretur. Factio popularis tunc, si non primum orta, tamen procerum uno — quod periculosius est — tamquam capite proposito, vim suam et gravitatem in civitate est nacta, et quidem maiorem, quam quae rei publicae, mercatura fundatae et sustentatae, in qua nisi penes delectos quosque nobilissimos ditissimosque omnium summa potestas non esse poterat, non detrimento et tandem perniciei esset.[25]) Hoc vulnus rei publicae inflictum non est sanatum, quum usque ad eius interitum summa rerum factiones sint potitae. Factionem popularem iure rerum scriptores Barcinam (Liv. XXI. 2. 9. XXX. 7. 42.) vocant; optimatium partium asseclae, simultate (Liv. XXIII. 13.) cum familia Barcina impulsi, non suo nomine insigniti, alteram factionem effecerunt. Sub finem rei publicae etiam tertia addita est factio.

Primum accedimus ad gentem Barcinam describendam, sive Barcinos (Liv.) sive Βαρχίδας (Zonar.). Barcae cognomen, quod fuit Hamilcaris, ducis incomparabilis nisi Hannibalem genuisset, fulmen significare plerique dicunt[26]). Gentis Barcinae origo ducenda est ex illis Tyriis principibus, quos supra diximus una cum regina Elissa Karthaginem fundasse. Nam fert fama, Barcam esse oriundum a Belo, Neptuni et Libyae filio, quem proavum multorum populorum orientalium mythographi faciunt, quem Virgilius (Aen. I. 621.) celebrat genitorem Didonis ipsius. Ab regia igitur stirpe

---

[22]) Appian. bell. Hannib. 2. bell. Hisp. 2.

[23]) „quumque eius opes apud milites plebemque plus quam modicae essent.“ Liv. XXI. 2.

[24]) App. bell. Hisp. 4. „et haud sane voluntate principum imperio potitus erat.“ Liv. XXI. 2.

[25]) Etiam Polyb. VI. 50. tempestatem belli Hannibalici ostendit fuisse aetatem deflorescentis atque quasi senescentis Karthaginis.

[26]) cf. Boettich. l. l. p. 211. — Sui fortasse eadem virtutis admiratione compulsi eum ita nominarunt, qua Syri Seleuco III. Cerauni, et Turcae Baiazetho Ilderim i. e. fulminis cognomen imposuerunt. — Prorsus aliter cognomen Barcas s. Balcas, quod idem sit ac Boccar, explicat Movers. l. l. p. 501; et Sil. Ital. iam gentis auctorem habet priscum Barcam. Sed idem poëta nominat Hannibalem fulmen subitum Karthaginis. XV. 667. Ita Cicer. Balb. 15, 34. Cn. et P. Scipiones duo fulmina Romani imperii appellat. Barcam Gesenius (Mon. Phoen. p. 403.) appellat fratrem Pygmalionis.

credebatur Hamilcar esse. De ea re Silius Italicus (Punic. I. 71. seqq.) haec habet:

„ortus
Sarrana (i. e. Tyria) prisci Barcae de gente, vetustos
A Belo numerabat avos. namque orba marito
Quum fugeret Dido famulam Tyron, impia diri
Belides iuvenis vitaverat arma tyranni,
Et se participem casus sociarat in omnes.
Nobilis hoc ortu et dextra spectatus Hamilcar". rel.

Idem poëta (XV. 744. sqq.) Hasdrubalem „Ductorem Agenoreum" [27]) ita vociferantem facit:

„mihi Belus avorum
Principium, mihi cognatum Sidonia Dido
Nomen, et ante omnes bello numerandus Hamilcar
Est genitor. rel."

Hamilcar 248. admodum adolescentulus exercitui praeesse coepit et interfectus est a. 228. V. Polyb. II. 1. Corn. Nep. Hamil. 4. Diod. exc. XXV. Iust. XLIV. 5., qui de mortis genere dissentiunt. Patris nomen „Hannibal" unus Corn. Nepos tradidit, qui ignotis fontibus usus praeterea quasdam Barcinorum res narrat, quae a ceteris scriptoribus conticentur.

Hamilcaris Barcae filii praeclari tam sunt noti omnibus, ut meo munere functum me esse credam, si eorum nomina enarravero. Primus est Hannibal, qui a. 237. novem annos natus fuit et eodem anno quo P. Scipio et Philopoemen i. e. a. 183. mortuus esse traditur (Liv. XXXIX. 50. 52. Polyb. reliq. lib. XXIV. 9) [28]); alter est Hasdrubal, fratrum Hannibalis senior (Pol. IX. 22.), qui res ab a. 219. usque ad mortem 207. gessit et cui Polyb. dignum exegit laudis monumentum (XI. 2.), quem ipse Livius (XXVII. 49.), ducem cum saepe alias memorabilem, tum illa praecipue pugna, pugnantem, ut patre Hamilcare et Hannibale fratre dignum esset, ad Metaurum cecidisse scribit; tertius Mago, qui interfuit pugnae ad Trebiam (218.), iuvenis militaris spiritus et a prima aetate belli artes edoctus (Polyb. III, 71.), quem Liv. (XXX. 19.) a. 203. ex vulnere mortuum esse refert. V. de his viris Polyb., Liv., App., Cor. Nep. al. Praeter eos filias reliquit Hamilcar. Uxorem Hannibal duxit ex Hispaniae urbe Castulone (Liv. XXIV. 41.). Apud Sil. Ital. v. 288. Mago generum habet Isalcen Cinyphium i. e. Cretensem, quem nescio an finxerit poëta.

